



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 18. Fœdus cum Gallis a Connestabili rescissum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A. C. 1426.

manniæ ad Arbincom fita: Hanc Angli, ut inde in Britanniam facile prædabundi excurrere possent, ceperunt, ac munimentis firmarunt. Quapropter Connestabilis eam obsidere cogitat, brevique temporis intervallo expugnat. Idem vero infausto Marte pugnavit apud oppidum S. Jacobi de Beveron, pariter ab Anglis restauratum; ibi enim, cum Milites sui ob stipendia haud amplius soluta, signa deferrent, turpiter terga vertere coactus est, impedimentis, tormentisque omnibus exutus.

§. XVIII.

Fœdus cum Gallis a Connestabili rescissum.

Post hæc Angli, Pont-Urfone denuo subacta, sub Duce Bedfordiensis fines Britanniæ tanta copiarum vi ac numero inundarunt, ut Connestabilis viribus suis diffusus, abdicato Gallorum fœdere, cum Anglis pacem iniret, fidem suam, obsequiumque deinceps Henrico VI. Regi deferens. Cum autem ante discessum suum comperisset, Gyacum castrensis ærarii Præfectum pecunias, quas sibi mittere debuisset, in proprios usus convertisse, eundem per milites suos Issolduni in lecto jacentem comprehendi, atque instructo criminali judicio capite truncari jussit.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1426.

*Hussitis sectæ suæ libertas usque ad
Basileense Concilium a Cæsare
promissa.*

In Bohemia Hussitis, mortuo Zischa, in duas factiones scissis, Imperator, ut aliquam eorum partem sibi conciliaret, primo civium Ordinem sollicitat. Jubet ergo ex iis inquireri causam, cur Cæsari adversarentur? ad quod cum illi responderent, hoc fieri ex eo, quod Sigismundus non semel ostendisset, se sectæ eorum hostem esse, His reposuit, pace *Bonfin. 3.* mea, utamini interea religionis vestræ li-*dec. 3.* bertate, dummodo vos Basileensis Concilii Anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo celebrandi judicio submittere velitis * Toto capite annuunt cives,

* Immerito Bonfinius datæ hujusmodi libertatis auctorem insimulat Sigismundum. Rem narrat Ænæas Sylvius Hist. Bohem. cap. 47. *Egressus ad eos (Bohemorum Proceres) Sigismundus locutus est: si qua essent, quæ Provincialium mentes a se alienarent, ea ablaturum, illi se armis ab eo sine causa impetitos dixerunt: Responsum a Sigismundo benigne datum ad objecta, oblatumque generale Concilium, in quo suam innocentiam Bohemi ostendere possent,*